

## Epici generis initia Romana

### ***Livius Andronicus***

ca. 284 - ca. 204 a. Chr. n.

#### **persōna**

Livius Andronicus libertinus, magister linguae Graecae, poeta et histrio, natus Tarenti circa annum 284 ante Christum natum, anno 272 servus Lucii Livii Romae, obiit circa annum 204.

#### **opera**

[Odusia](#)

[Tragoediae](#)

[Fabulae palliatae](#)

[Hymni](#)

### ***Livii Andronici Odusia***

metrum: Saturnius

#### **Fragmenta libri I**

Virum mihi, Camena, insece versutum.

"Ανδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα, πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ (1,1)

Mea puera, quid verbi ex tuo ore supera fugit?

τέκνον ἐμόν, ποιόν σε ἔπος φύγεν ἔρκος ὀδόντων; (1,64)

#### **Fragmenta libri VI**

ibi manens sedeto donicum videbis

me carpento vehentem domum venisse

ἔνθα καθεζόμενος μεῖναι χρόνον, εἰς ὅ κεν ἡμεῖς  
ἄστυδε ἔλθωμεν καὶ ίκώμεθα δώματα πατρός. (6,295-96)

#### **Fragmenta libri VIII**

namque nullum peius macerat humanum

quamde mare saevom: vires cui sunt magnae,

<tamen> topper confringent importunae undae.

οὐ γὰρ ἐγώ γέ τί φημι κακώτερον ἄλλο θαλάσσης  
ἄνδρα γε συγχεῖαι, εὶς καὶ μάλα καρτερὸς εἴη." (8,138-39)

## **Cn. Naevius**

ca. 270 - ca. 201 a. Chr. n.

### **p e r s o n a**

Gnaeus Naevius natus circa annum 270 fortasse Capuae.  
obiit circa annum 201, poeta comicus, tragicus, epicus.

### **o p e r a**

[Fabularum palliatarum et togatarum fragmenta](#)

[Fabularum cothurnatarum fragmenta](#)

[Fabularum praetextarum fragmenta](#)

[Belli Punici carmen](#)

[Satura, cum Metellis altercatio, epitaphium](#)

[Fragmenta incerti operis](#)

### ***Naevii Belli Punici carmen***

metrum: Saturnius

Gell. 17, 21, 45: . . . eodem anno [235 a. Chr. n.] Cn. Naevius poeta fabulas apud populum dedit, quem M. Varro in libro de poetis primo stipendia fecisse ait bello Poenico primo idque ipsum Naevium dicere in eo carmine, quod de eodem bello seripsit.

### **Fragmenta libri I**

Novem Iovis concordes filiae sorores

Postquam avem aspexit in templo Anchisa,  
sacra in mensa penatium ordine ponuntur;  
immolabat auream victimam pulchram.

amborum uxores  
noctu Troiad exibant capitibus opertis,  
flentes ambae, abeuntes lacrimis cum multis.

eorum sectam sequuntur multi mortales . . .  
multi alii e Troia strenui viri . . .  
ubi foras cum auro illi<n>c exibant

Inerant signa expressa, quomodo Titani,  
bicorpores Gigantes magnique Atlantes  
Runcus ac Purpureus, filii Terras . . .

### **Fragmenta libri II**

dein pollens sagittis inclutus arquitenens  
sanctus Iove prognatus Pythius Apollo.

Epigramma Naeui plenum superbiae Campanae, quod testimonium iustum esse potuisset, nisi ab ipso dictum esset:

*inmortales mortales si foret fas flere,  
flerent diuae Camenae Naeuum poetam.  
itaque postquam est Orcho traditus thesauro,  
obliti sunt Romae loquier lingua Latina.*

## **Quintus Ennius**

**Quintus Ennius**, poeta, natus anno [239 a.C.n.](#), mortuus anno [169 a.C.n.](#).

Q. Ennius poeta aequalis [Plauti](#), sed minor natu, aliter atque ille in omni poesis genere versatus est. [Rudiis Calabra](#) in civitate natus et ex ea [Italiae](#) parte ortus, cui cum [Magna Graecia](#) erat commercium, [Graece](#), [Osce](#), [Latine](#) locutus est, ut tria se corda habere diceret. is [Romam](#) advectus a [Catone maiore](#) alterum post [Naevium carmen epicum](#) de rebus gestis populi Romani composuit, quod [Annales](#) inscriptum est. narravit autem omnia ab initiis, quae fabulis antiquissimis memoriae tradita sunt, usque ad tempora sua Graecorum exemplo versu usus [heroico](#), quo semel instituto in genere epico [Saturnium](#) numerum penitus obliteravit. in fabulis faciendis [comoedias](#) quidem non neglexit, sed propter [tragoedias](#) et [praetextatas](#), quarum multa fragmenta extant, maxima laude affectus est. neque vero nugae eius ipsae admiratione indignae. [Saturae](#) quidem inventor fuit, quam totam Romanam fuisse quis est qui nesciat?

## **Enii Annales**

### **Fragmenta libri I**

Musae, quae pedibus magnum pulsatis Olympum

Accipe daque fidem foedusque feri bene firmum

Et cita cum tremulis anus attulit artibus lumen.  
Talia tum memorat lacrimans, exterrita somno:  
'Eurydica prognata, pater quam noster amauit,  
Vires uitaque corpus meum nunc deserit omne.  
Nam me uisus homo pulcer per amoena salicta  
Et ripas raptare locosque nouos. ita sola  
Postilla, germana soror, errare uidebar  
Tardaque uestigare et quaerere te neque posse  
Corde capessere: semita nulla pedem stabilbat.  
Exim compellare pater me uoce uidetur  
His uerbis: "o gnata, tibi sunt ante gerendae  
Aerumnae, post ex fluuio fortuna resistet."  
Haec ecfatus pater, germana, repente recessit  
Nec sese dedit in conspectum corde cupitus,  
Quamquam multa manus ad caeli caerulea templaque  
Tendebam lacrumans et blanda uoce uocabam.  
Vix aegro cum corde meo me somnus reliquit.'